

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6538

**Autre(s) référence(s) :** Fauroux 90 / Bates 212

**Auteur(s) :** Robert le Magnifique, Normandie (duc)

**Bénéficiaire(s) :** Montivilliers, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte :** pancarte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1068-1076]

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Notice relatant les premières donations et acquisitions des biens de l'abbaye de Montivilliers.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta, col. 326-330.
- b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 90, 90 bis, 164, 171, 172, 173, 198, 213, 226.
- c. Bouvris Jean-Michel, *La renaissance de l'abbaye de Montivilliers et son développement jusqu'à la fin du XIe siècle*, dans *L'abbaye de Montivilliers à travers les âges*, actes du colloque de Montivilliers le 8 mars 1986, le Havre, Centre havrais de recherche scientifique, Recueil de l'association des Amis du Vieux Havre ; 46, 1988, p. 17-84, p. 67-84.
- d. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 212, p. 654-663.

### Indications

Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 92a.

## Dissertation critique

Datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 656-657).  
Fauroux, *Recueil des actes des ducs de Normandie*, n° 90, 90 bis, 164, 171, 172, 173, 198, 213, 226.

Texte établi d'après d

In nomine sancte et individue Trinitatis. Robertus, divina autoritate Normannorum dux et rector, omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, notum esse volumus qualiter divine autoritatis instinctu, locum sancte Marie Dei genitricis et perpetue virginis qui dicitur Monasterium Villare, nostrorum petitionibus fidelium consentiendo, decrevimus ordinare et ad pristina facultatis amplitudinem de qua iam peccatis exigentibus ceciderat elevare. Audivimus enim a sapientibus historiarum memorias recitantibus supradictum locum sancto Philiberto a Waratonea duce esse concessum, eo rationis tenore ut illic in honore sancte Marie monasterium construeret,

et virgines sub regulari disciplina Domino militaturas, et multis terrarum possessionibus beneficiatas ordinaret. Tantam eiusdem loci auctoritatem frequenter audiendo, ad edificationem viri sanctissimi cum oblationibus fidelium proditum iri, et sanctarum virginum conversationem manu predatoria violentorum ad nullatam esse doluimus, et ablata restaurare et restaurata firma defensione ibi auctoritate statuimus. Hoc vero ut disposuimus, omnibus nostris fidelibus consentientibus, et maxime quadam amita mea nomine Beatrice, id agente, id studente, que postea, habitu mutato, Domino illic militare elegit, presentis carte privilegio confirmamus, ut sine contradictionis molestia, ea que infra memorantur, vel a me, vel a patre meo comiti Ricardo dedita sive concessa, supradicto monasterio perpetualiter serviant.

In primis, eandem sancte Marie ecclesiam cum aliis subtus scriptis ecclesiis ab omni episcopali consuetudine absolutam, immunem et omnino liberam constituimus in omni tenetura sicut tenet Fiscanensis ecclesia, quod donatione, voluntate et concessione domini Roberti Rothomagensis archiepiscopi constituitur et confirmatur. Hec sunt alie ecclesie quiete : ecclesia de Sancta Cruce, ecclesia de Sancti Germani, ecclesia de Herolfluet, ecclesia de Rarivilla, ecclesia Ottovilla, ecclesia Espovilla, ecclesia Petitunvilla, ecclesia de Sanuuic, ecclesia de Guttavilla, ecclesia Uashuic, ecclesia de Rolvelle, ecclesia de Manair cum terra sacerdotali. In eadem villa Monasterii Villaris, suburbium totum cum theloneo et cum omnibus consuetudinibus ; et portus de Herolflot, cum theloneo et sedibus navium, cum sanguine et licentia de navi ; Sigesfridi villa in Oismais ; la Haya de Teilleid ; medietatem terre de Liusores, cum medietate ecclesie necnon molendini, silveque et prata ; terras cuiusdam Ansgoti ; le Maisnil Gualchier de Comitevilla, et ecclesiam de Guasuit ; et ecclesiam de Scabelvilla ; in terra Alberici v hospites ; in Korolio Maisnil IIII et dimidium ; in Maisnil Richardi tres hospites et dimidium et tres bordellos ; in Rodulftot xiii hospites et iii bordellos et terram ad unam carrucam, et ecclesiam cum terra sacerdotali ; in Herolfluot, ecclesiam sancti Martini et capellam sancti Albini cum terra et viii bordellos ; in Wurrdivilla quatuor hospites ; in Rodewella tres hospites, et unum bordellum, et ecclesiam cum terra sacerdotali ; in Danihelmesnil, sex hospites ; in Fredivilla, quinque hospites ; in Beatavilla septem et dimidium, et unum bordellum ; in Ollebervilla duodecim hospites et unum bordarium ; in Petitunvilla, sexdecim hospites et dimidium et iii bordellos et ecclesiam ; secus Vivrivillam viginti sex agros ; in Rorivilla xxi hospites et xviii bordellos et ecclesiam ; duos hospites ad Coldretum ; in villa de Maneir, ecclesiam sancti Martini immunem ab omni episcopali consuetudine ; ecclesiam sancti Martini de Octovilla cum terra sacerdotali ; ecclesiam sancti Dionisii de Espouvilla ; in Rorivilla quatuor molendinos ; ad Espouvilla unum ; in Monasterio Villari ii, saline sedecim, xx et viii agros de prato ; omnem vero decimam totius suburbii eiusdem loci, et que in circuitu villarum habentur ; ecclesiam quoque Guttisville in honore sancti Samsonis consecratam ; et ecclesiam Sanutwit supra mare sitam ; in villa autem que vulgo Becherel appellatur tres quarterios vinee supra Secanam site ; medietatem quoque vini quod est Asselini eiusdem ville ; in Vadine xiii arpenta vinee ; in Rotomago ecclesiam sancti Pauli cum hiis que pertinent ; omnia ad usus suos in silva Iulie Bone dedit Richardus comes.

Hec omnia, ut diximus, nostre concessionis iure, ad locum memoratum pertineant, et ne quis hanc donationem delere presumat, hoc inscriptionis privilegium sub ecclesie testimonio confirmamus, et annuli nostri impressione roboramus, neve in eodem loco alterius sexus ordo habeatur preter suprascripti. Quod si inimico humani generis instigante status sancte regule depravatus, quod absit, aliquando defecerit, eodem sexu eodemque reparetur ordine. Aliter ne fiat nostra auctoritate sub horum presentia ac subscriptione, anathematis feriatur eterne damnationis, testium patrum mei videlicet Roberti archiepiscopi, Hugonis quoque Ebroicensis, alteriusque Hugonis episcopi Abrincatensis, Herberti Luxoviensis episcopi, Ioannis etiam Fiscannensis abbatis, Gradulphi abbatis Fontinellensis, comitis Balduini, Ingelrandi comitis, Osberni, Nigelli vicecomitis, et Goscelini vicecomitis, et Richardi, coeterorumque nobilium. Facta est hec privilegii auctoritas Fiscanni in conventu celebri, idus Ianuarii, viii<sup>o</sup> anno regni nostri quo Ierusalem petiturus ibi licentiam eundi a Deo et sanctis eius petii, anno ab incarnatione Domini m xxxv<sup>o</sup>, regnante Francorum rege Henrico anno iiiii<sup>o</sup>, indictione quarta.

Hec vero prescripta dono Richardi atque Roberti comitis ad memoratum locum pertinent, que autem sequuntur a victoriosissimo rege Anglorum invictissimoque duce Normannorum Willelmo data, sive ab abbatissa, seu a monialibus tempore sue conversationis eo permittente sunt concessa.

Emit vero abbatissa Beatrix a coniuge Walterii que dicitur Lescelina, annuentibus filiis suis Willelmo, Roberto et Gilleberto, partem terre quam habebat in villa que dicitur Helinis, sub testimonio quidem suorum et nostrorum hominum quorum nomina hec sunt : Robertus capellanus, Ansgotus, et Rainaldus et alii plures, et hoc siquidem auctoritate et licentia comitis actum est. Emit eadem abbatissa Calvelvillam centum libras a Normanno de La Berliere, concedente Hugone de la Ferteit, et Hugone de Gornay, et Warnerio suo consanguineo, sub testimonio Guillelmi comitis de Archis, et Hugonis Luxoviensis episcopi, aliorumque plurimorum, videlicet Osberni, Willelmi

eadem beneficia tenentium. Emit adhuc universam terram Anschilli filii Ansgerii que est in hac parte Sequane a comite, sub testimonio Willelmi de Ou et Radulfi Taissini. Wimardis Anfredi senescalci coniux, loco sancte Marie Deo dedicata, sub horum testimonio, scilicet Roberti, Hugonis Luxoviensis episcopi, Ioannis abbatis, Guisleberti Crispini, annuente Willelmo comite et faventibus filiis suis, beneficium quod dicitur Eschetot largita est. Notum sit omnibus concessisse Hadvidem sancte Marie coenobio medietatem terre de Hat, ecclesiamque cum decima, dum presens seculum desereret, Deoque dicata extremum vite sue in eius famulatu exercere cuperet. Firmatur autem hec concessio, favente filiorum autoritate, videlicet Hugonis, Ernardi atque Roberti. Roboratur insuper subscriptis testium nominibus, Osmundi Basset ac fratrum suorum, Willelmi de Luisoreis, Roberti atque Futilini, Rainaldique de Nonant. Siquis vero id detraxerit, anathematis feriat iaculo, quia secundum antiquorum patrum precepta de beneficiis ecclesiarum cartas vidisse recolimus.

Conventionem Adele Flandrensis comitisse et abbatisse Elizabet de Villari Monasterio, quasi prelibando subnotare disponimus. Nam cum predicta comitissa, annis vergentibus, vitam debilem a Deo in evum protenderet ut suimet et cuncte familie gubernationem postponeret, sancte Marie de Monasterio Villari villam Magneville, quam in predium sibi emerat, ea conditione attribuit ut quamdiu viveret a beneficiis tractaretur eiusdem coenobii. Quod cum auribus comitis insonaret, iussit ut abbatissa sibi emeret centum libras et comitisse impenderet, quas ea gratia illi attribuit ut in perpetuum terra sit eiusdem coenobii, quin etiam si de rebus huiusmodi a comite concessis aliquis sancte Genetricis vim intulerit a fidelibus sancte ecclesie se excommunicatum noverit, annuente Willelmo comite, cum Matilda coniuge et filio eius Roberto comite, Rogerio comite de Montegommerico, Willelmo Osberni filio, Ricardo Tastani filio, Radulfo de Conchis Rogerii filio, cum aliis quampluribus.

Willelmus Dei nutu comes Normanorum nimia deprecatione abbatisse, accepto calice aureo, Villarensis ecclesie, ad victum monialium addidit medietatem octo ecclesiarum Giraecensis insule, videlicet ecclesie sancti Clementis, sanctique Martini Vetuli et alterius ecclesie sancti Martini, et sancti Heleri, et sancti Petri, et sancti Broladrii, et sancti Audoeni, sancteque Dei genetricis Marie, sub testimonio coniugis sue Matilde, necnon et Rogerii de Montegommerico, et Willelmi Osberni filii, et Rodulfi camerarii.

Elizabet abbatissa emit ecclesias Julie bone cum decima annone et thelonii que omnia tenet Rainaldus capellanus de eadem abbatissa, excepto dimidiam decimam theloni quam in proprietate retinuit a Willelmo Normanorum comite. Habebat etiam locus sancte Marie decimam bestiarum silve Julie bone dono Richardi comitis. Ipse idem Willelmus comes dedit sancte Marie coenobii Villarensis decimam nummorum vicecomitatus Fiscanni, teste Rogerio de Montegommerico, et decimam silvesticarum bestiarum silve Leonum, annuente filio suo Roberto et coniuge, coram baronibus suis. Terram quam Herfridus in Tumchinvilla tenebat, emit abbatissa a Willelmo de Ou, favente illo Herfrido, teste Odone Hugonis filio, Bernardo presbitero atque Roberto, permittente comite.

Ecclesiam sancte Marie de Fiscannensi silva que cognomento Jux vocatur dedit Willelmus comes Regine Virginum, testificante Rogerio de Montegommerico pluribusque aliis, Roberto Ruffo atque Roberto presbitero. Item prefatus comes, divino instinctu tactus, huic ecclesie ad usus sanctimonialium de redditibus prepositure Cadomi per singulos annos centum dedit solidos, teste Rogerio de Montegommerico et Osberni filio Willelmo, multisque aliis.

Ego soror Clara filia Walterii, consanguinea regis Willelmi, totam terram quam habeo in Waurerio de ecclesie Dei genetricis Villarensis monasterii eodem rege annuente, in qua sub regulari iugo militaturam me ipsam voveo. Ego soror Adeloya de terram de Bellomonte que mea probatur esse hereditario iure, favente viro meo Giraldo Bovetai, ecclesie Villarensis monasterii, ubi votum habeo converti, et hoc per manum comitis Normanorum Willelmi, cuius est hoc signum +. Testibus hiis Willelmo filio Osberni, Willelmo Maleth.

Radulphus dedit terram de Vitrevilla, cum filia sua Rohaide sancte Marie, concedente Normannorum duce et filio eius Roberto, testimonio suorum militum nostrorumque, videlicet Roberti Rufi, Gilleberti, Rainaldi ; et illam portionem quam illic frater eius Golfredus habebat, dedit Rogerius de Gomerico monte dono sancte Marie, annuente comite, sub testimonio Roberti filii Giroldi, episcopi etiam Luxoviensis Hugonis.

Ecclesiam vero, cum decima de Pulchra Fovea, dedit Radulphus Giffardus, favente filio suo Willelmo Runce, sancte Marie, teste Normanno Pennart, Renaldo milite, et Roberto capellano, insuper etiam comite Ebrouicensi annuente, cum duodecim acris terre quam abbatissa emit de proprio ecclesie. Benschelina vero Radulphi Giffardi uxor, cum monachilem vitam sumpsit, ecclesie Dei sueque castissime matris Marie, quidquid in Salomonis villa habebat, sive in ecclesiis, sive in decimis, seu in pratis, vel in aquis, eterno iure sancivit, et in villa que dicitur Chevron, concessione Gaufredi filii sui, quidquid tenebat tradidit. Rainaldus autem de Gratepance contra Bencellinam tantumdem terre tenuit in illis duabus supradictis villis, quam sancte Marie prebuit, cum filiam suam regulari iugo commisit. Abbatissa igitur centum acros terre emit de proprio suo in villa que dicitur Fontenes, ad opus ecclesie sancte Marie. Ipsa eadem Bencellina dedit huic ecclesie medietatem unius molendini apud Angon, teste Rogerio viro suo et Radulpho eiusdem filio, necnon Roberto predicti castri comite. Robertus de Moias, precatu sue matris, dedit sancte Marie terram quam tenebat Anfredus en Rovereit, teste Rainoldo telonario ac Riculfo graverenc. Hugo de Grantemesnil quatuor acros prati concessit sancte Marie en Cevillei pro sororibus suis.

Robertus de Insula, cum uxore et filiis eius Radulpho et Roberto, concedit decimam Magne ville ecclesie Marie Villarensis, pro Adelaida filia sua, annuente rege Willelmo cum uxore Matilda, et filiis Roberto et Willelmo.

Wasta filia Rainerii, annuente fratre suo Hilduino, dedit sancte Marie de Monasterio Villari, pro anima sua, et quia ibi monacha facta est, quinque arpenos vinee in Longuavilla, et carrucatam terre, concedente rege Willelmo cuius signum est hoc +, sub testimonio horum Hugonis pincerne regis, de cuius feudo erant terra et vinea, que omnia concessit Hugo predictae ecclesie, audiente Renaldo regis capellano, et Rainaldo de Monasterio Villarensi, et Aluredo, et Gisleberto de Cevron, et Willelmo nepote eiusdem Hugonis, et Wimondo Gaillart.

A Beviredan unum molendinum cum terra molendinarii dedit Tetbaldus pro filia sua Advenia, receptis quindecim libris denariorum de abbatisa Elisabet. Dedit etiam Robertus de Espouvilla, filius eiusdem Tetbaldi, sancte Marie decimam de Albinvilla pro filia sua Rohaide, annuente Walterio Giffardo, coram hiis testibus, videlicet, Guillelmo Talebot, Walterio Alberici filio, Roberto de Novilla. Ego Haduidis filia Nicolai de Baschetvilla, uxor Hugonis de Varhan filii Gripponis, do laude, consilio et consensu sponsi mei, manerium Waddune ecclesie sancte Marie Villarensis monasterii, pro salute anime mee et sponsi mei, amicorumque meorum, annuente magno rege Willelmo, coram baronibus suis, videlicet, Odone Baiocensi episcopo, et comite Rogerio de Monte Gomerico, Walterio Giffardo, Willelmo de Warena, et Gaufrido Martello fratre supradicti Hugonis, et Gisleberto Chalvello, et Roberto de Novilla, aliisque compluribus.

Ego Willelmus dux Normannorum et rex Anglorum concedo monasterio beatissime Dei genitricis Marie ea que pater meus dux Robertus concessit et ea que ipse, ducatus sui tempore, vel alii contulerunt, vel abbatisse emerunt, et manu propria firmo sub testimonio istorum, Roberti filii mei atque Willelmi, Joannis archiepiscopi, Rogerii de Bellomonte, Michaelis episcopi, Vitalis abbatis de Bernayo, Osberni, Fulconis de Alno, Rogerii vicecomitis, Roberti vicecomitis.

+ annulus Willelmi ducis Normannorum, regis Anglorum + + +. Signum Michaelis episcopi. Est hoc signum Willelmi filii regis +. Signum Rainaldi de Alno +. Signum Ansberti senescalli.